

*An regimen mundi à summo rerum principe  
Deo, eiusque diuina dependeat vo-  
luntate.*

CAPVT II.

**C**VM ab origine rerum æqua omnium hominum sit condi-  
tio, contraque ius naturale, quo cunctos mortales libertate  
potiri disposuit Deus, principatus dominiaq; terrarum ius dum-  
taxat gentium induxerit mundo: solet à nonnullis curiosis viris  
scholastico more in disceptationem venire, An huiusmodi do-  
minatus mundi à summo rerum principe Deo, eiusque diuina  
dependeat voluntate. Et quidem in partem negatiuam disse-  
rentes in medium afferre solent, quod antiquus ille Hebræorum  
populus, cum Deo peculiari esset amore dilectus, post infractam  
naturalem legem, vsque ad Saul primi regis Israhel tempora, di-  
uina quadam dispositione non regulariter, sed politicè ( vt sacris  
litteris compertum habetur ) gubernatus sit, sicut luculentius in  
hoc diuina voluntas ex 1. Regum 8. cap. deprehenditur: vbi Sa-  
muele confecto ætate, qui filios Israhel politicè & iudicauit & re-  
xit, expeterentq; illi, aliarum instar gentium, regibus deinceps  
gubernari, dicentes ei in Ramatha: *Constitue nobis regem, qui iudi-  
cet nos, sicut & vniuersæ habent nationes:* consultusque de super Do-  
minus exasperatus respondit illi: *Audi vocem populi in omnibus, quæ  
loquitur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos:* quasi  
regnare & principari sit rem diuini iuris vsurpare, diuinamque  
fugere subiectionem. recensuit quoque illis iura & leges regni,  
tyrannidis profecto & iniquitatis plenas. Solum denique re-  
probi & Deo nostro inuisi ab initio sæculi dominium in confratres  
vsurparunt, vt Genes. historia declarat. Accedit porrò ad  
hanc sententiam aliud diuinæ indignationis exemplum. Omnes  
nempe ferè primi orbis monarchæ dira mortè interierunt. Io-  
ram quippe à Iehu occisum viuum ictu sagittæ occubuisse, alios  
verò